



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Basilea Sacra Sive Episcopatus Et Episcoporum Basileensium Origo Ac Series

Sudan, Claudius

Brvntrvti, 1658

58. Hartmannus Monch à Monchenstein.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11463

*Anno
Christi*

Episcopis tribus auctoritate Conci-
lij, reliquus, quoad fieri potuit, sta-
tus in meliorem normam compo-
situs est. Eodem tempore, melio-
rem etiam ex hac mortali adiit vitam
Basileensis Episcopus Humbertus
anno 1418.

1419.

HARTMANNVS

Mönch à Mönchenstein.

*Basileensis Episcopus.**LIIIX.*

PLuribus quidem calculis ex scru-
tinio Canonorum alios super-
averat dignitatis huius Candidatos
Hartmannus à Mönchenstein, at ve-
ro Pontifex Martinus V. virum senio
gravem, minùs aptum fore ratus
oneri ferendo, quod ille facer honos
adiunctum habet, in Conradum
Eliæ SS. Theologiæ Doctorem &
Collegij Canonorum in Concilio
lega-

legatum propenso ferebatur animo, *Anno*
quin & ipsum apertè satis Hartman- *Christi*
no præposuerat. Conradus tamen, *1419.*
etsi Pontificis iudicium volunta-
témque gratus agnosceret, ut erat
vir animo perquam modesto & mo-
derato, atque alienus ab ambitu fa-
cri fastigij, cui præter nudum propè
Episcopi nomen, pauca restarent
ampliùs, si ad pristinum Diœcesis
statum advertamus, facile passus est
se ab Hartmanno regendi percupido
sene induci, ut in quæsito splendore
non officeret præclaræ suæ dotis ob-
iectu, sed proximo dignitatis gradu
Archipresbyteri contentus retineret
nomen. Conradus ergo voti com-
potem facit Hartmannum. Iste à
Martino V. Genevæ in reditu con-
firmationem impetrat.

Crescit interim minor Basilea
monasterio Patrum Carthusiano-
rum, Iacobi Syboldi civis honesto

T 4

loco

Anno
Christi
1449.

loco nati opibus erecto. Is domi
ordine Senatorio clarus, & supre-
mus Tribunus plebis, auctoritate
non minùs, quàm opibus potens,
& quod omnium caput est, virtute,
vitæquè integritate præcellens, mor-
tuâ coniuge, quòd hærede careret,
Christum instituit, meliori hæredi-
tate ab ipso donandus. Vt ergo,
propagando Basileæ impensiùs cul-
tui divino fortunas suas piè colloca-
ret, agit cum Hartmanno Episcopo
Iacobus, pactùsque numeratis pe-
cuniis, locum habitationi religiosæ
opportunum designat, & Carthusi-
am denique peramœnam ad fastigi-
um, magnis quidem sumptibus
perducit feliciter, tempore proximi
Concilij Bas. auctam plurimùm &
illustratam, in qua se ipse denique
ad sacri illius instituti normam for-
mandum Deo consecravit, religiosis-
simæ vitæ exemplo, insignis famam
Sancti

sanctitatis consecutus. Quam pri-
vatus sectabatur in vita solitaria vir-
tutem Iacobus, Hartmannus Episo-
pus, studio quamvis dispari, & in
publica suæ dignitatis luce, perse-
quebatur feliciter; adeo nullum in-
dagatorem gnævum latet, nulli non
hominum conditioni obvia est san-
ctitas. Etenim Hartmannus, ut plus
otij penso precario & animi curæ tri-
bueret, Episcopatus curas cum fidis
duobus Administris partiebatur,
Thuringo Mönchio Archipresbyte-
rio, & ad S. Ursicinum præposito,
atque Ioanni Flaxlandio suis cogna-
tis, permissa ferè ipsis omni Diocæ-
seos curâ, dum ille frugali admo-
dum vitâ victitans, & ab aulico luxu
abstinentissimus, non nisi Sacellanū
unum, coquum, & famulum penes
se retineret. In postremo denique
vitæ suæ decursu, annuente Canoni-
corum Collegio, in successionem

Anno
Christi
1419.

T s mune.

*Anno
Christi*

muneris, quo se abdicabat, vocavit
Ioannem à Fleckenstein Abbatem
Selzensem Ordinis Cluniacensis.
Quod factum summo Pontifici pro-
batum simulque potestas indulta
Episcopo, annuo Abbatiaë vectigali
perfruendi.

1424.

IOANNES V.

à Fleckenstein.

Basileensis Episcopus.

LIX.

ANno 1423. 29. Maij, stipatus qua-
dringentis quinquaginta equi-
tibus, Basileam solenni apparatu in-
vehitur Ioannes à Fleckenstein.
Pompam hanc præ cæteris illustra-
bant Fridericus à Fleckenstein Vor-
mationensis, & Rabanus ab Helenstat
Spirensis, Episcopi, uterque Ioanni
consanguinitate propinquus, in
eum finem accersiti, ut Ioanni plus
aucto-